

1359

I C O D I C E S

1360

cipue illis exprobrat. In ipsa jam *Dicatione* meminit *Neronum Christianorum*, multis locis corruptionis sacrarum Literarum accusat, §. 43. scribit: *Con capa de Religion se cautelan los Catholicos siendo en la verdad relaxados, con capa de Humildad se defienden siendo en la realdad soberbios, con capa de Virtud se esconden siendo en la evidencia viciosos, con capa de Religion se alimentan y diffracan siendo à los ojos del mundo los mas escandalosos Idolatras.* De Gente sua ita sibi blandiendo perorat: *Es una Republica, que se gobierna por si misma por la Ley, que Dios le dio, no le an faltado nunca Sabios, que le instruyan, y Governadores, que lo rigan. Con que se explica muy bien la Prophecia de Jabacob, que no se quitara la Vara de Jebudab, ni escriuano de entre sus pies, hasta que venga Silo, que quiere dezir, que no se apartara la Vara del Gobierno asi Politico como Ecclesiastico en el Dominio que conservaran los Judios hasta la Venida del deseado Rey &c.* Ubi vero, mi bone! istud Dominium, ubi Potestas politica, ubi Templum, ubi Sacrificium? Plura, si lubet, in *Jac. Basnagii Hist. des Juifs* T. IX. p. 1009. qui hoc ipso Exemplo nostro e Bibliotheca *Sarraziana* olim usus est. Notatur in Catalogo hujus Biblioth. inter *Libros in 4^o. n. 98. p. 9.*

DCV. et VI.

R. 1078 Codex chartaceus lat. Sec.
— 79 XVII. Folior. 513. 4. hoc Titu-

lo est: *Parvum Cornu sive Regnum Mahometicum* cujus Ortus et Occasus, atque ex ejusdem ruina *surrecturi Regni Christi tam Politici quam Ecclesiastici Amplitudo, Potentia, Duratio, aliique miri eventus secuturi, ad finem usque mundi, ex septimo Danielis Capite varie illustrantur. Pars I. et II.* Per N. N. Jesuita is fuit, et, ut quidem coniecto, *Philippus Albert Viennens.* denatus in patria Urbe a. 1709. cujus an multiplicem eruditionem, an summam credulitatem magis mireris, in ancipiti est. Scripsisse illum regnante *Leopoldo I.* libera verba, quae e P. IV. fol. 463. praeoccupo, testantur: *Quis est, qui non videat, si annis 1689. et 1690. non ita nefandum indormissemus, sed continuato Martis calore hostem essemus persecuti, non tantum Thracia, Albania ac universa Graecia, verum et ipsa Imperii sede Constantinopoli nos potituros. Viderint illi, quorum haec culpa fuerunt neglecta, qualem olim sint Deo redditori rationem.* Opus porro a Praefatione orditur, in qua scopus scriptionis ita manifestatur: *Hoc in primis scias, velim, minime mihi propositum esse, totum Danielem enodare, ac omnes, quae circa textum occurrunt, difficultates, et variorum de iis sententias in medium afferre, easque examinare, refellere, aut censere, cum id a (Bened.) Pererio nostro, Cornelio (a Lapide) ac aliis luculenter ac erudite factum sit, sed praemissa brevi (quae mihi quidem genuina videtur) ac dilucida literae Capitit*

pitis expositione ad hanc veluti lydium lapidem Historiam Mahometici Regni ex optimis quibusque auctoribus desumptam explorabo et revocabo &c. Multi, quod Julianus Apostata de Apologetico pro Christianis edito, de nostris fortasse Scriptis ferent iudicium: Legi, intellexi, damnavi. Iis item repouenda Nazianzeni responsio: Legisti, non intellexisti, damnasti. &c. Sequitur Caput Elenchus, quorum I. Pars censet XXIX. II. vero XXII. Capita I. Partis occupantur quatuor Bestiis seu Monarchiis, ubi a Romana ad Imperium Germanorum transitu facta varia de ejus Praerogativis differuntur, cornu parvum quartae Bestiae Regnum Mahometicum esse statuitur, multa de ejus Legislatione, Potentia, Bellis, Victoriis, Persecutionibus, Iudicio et Sententia divina in illud ferenda disputantur, demum de Auctoritate Vaticiniorum Sibyllae, Joachimi Abb. Telesphori Erem. et Ant. Torquati agitur, miro sane ingenio, et non vulgari lectionis ubertate.

Pars. II. numerat, ut dicebam, Capita XXII. iisque tractatur de Interitu Sectae Mahometicae ex Apocalypsi, testimonio Mahometis, interpretatione vocis קרן, vaticiniis et somniis, Cometa anni 1680. conjunctionibus Planetarum, Numerorum harmonia, Vulgi vocibus et praefigiis; item quando et per quem sit interitura; denique parvum illud Cornu nequaquam in Pontificem Rom. torqueri posse. Multa hic etiam cu-

riosa, e fontibus reconditis promta, Chronographica, Cabbalistica. Quoniam vero ab aevo nostro remotiora sunt, in iis paullo differtior ero, quae ad hoc magis accedunt. Igitur

Pars III. et IV. Folior. 483. R. 62a peculiariter inscribitur: De Regno Christi orituro ex occasu Regni Mahometici, et Capitibus XXXIII. definitur, in quibus de Regni Christi ratione, mediis, amplitudine, firmitate, duratione, futura ejus pace, pacis hujus auspice, tempore et praedicatoribus, de gubernio politico per Imperatorem Rom. et quidem Stirpis Austriacae, cujus usque ad Leopoldi Filios Josephum Rom. Regem et Carolum textitur Historia, pertractatur. Certat in his, uti dixi, eruditio cum credulitate, plenisque modiis adgeruntur Sibyllae, Methodii, Amadei, Astolgandi, Job. de Kala, Joachimi Abb. Job. de Rupe-scissa, Malachiae, Telesphori, Vinc. Ferrerii, Job. de Ripa, Job. Lichtenbergeri et nescio quae Vaticinia sane curiosa, in quibus torquendis et interpretandis nulli parcat Autor ingenio, quin et e Leopoldi Filiorumque nominibus Omina Etymologica, Arithmantica et Cabbalistica fausta capit. Pars IV. Capitibus XXX. constans titulum praefert: De iis quae contingent ad Mundi finem, neque minus lectu curiosa est cum ob variam doctrinam; fontibus enim hebraicis, graecis, germanicis, italicis, gallicis, hispanicis utitur Propheta noster, tum ob conclusionem, ad quam deducit omnia, videli-

1363

C O D I C E S

1364

delicet, Mundum ad annum Mundi circiter 5854. et Christi circiter 1854. terminandum. Circa annum salutis 1817. eligendum Papam *Fratrem Angelum*, et vocandum *Pastorem Angelicum*. Circa annum 1820. nasciturum et anno 1851. appariturum *Anticristum*, tum fecuturum ejus triennale Imperium, Mundique finem. Atque haec omnia Vaticiniorum qualicumque Minerva expositorum, ductorumque inde calculorum fide, ea tamen cautela, ut se non nisi *Ominari* profiteatur Interpres. Recte sane, nam, qui vices temporis ab ejus scriptione lapsi expendit, facile videt, quoties eum sua destituerint oracula. Ita in Regum *Hispanorum Serie fol. 423.* Regnum istud ad *Andegavenses* transitorum nulla ei Sibylla revelavit. Dixi supra Jesuitam fuisse. En argumentum *fol. 119.* *Quae rerum nostrarum pars mansit intacta? Explosa nova haec Religio tam superbo Jesu nomine; contempta Votorum simplicium vincula, quae solvi possent; irrisa paupertas, tam sumptuosius scilicet nixa templorum aedificiis, et tam splendido Sacrorum apparatu. Tyrannica dicta est coeca obedientia, comparata a Polycarpo (Leyfero) Turcicae, Moscoviticaeque parendi necessitati; gratuita Sacramentorum aliarumque functionum administratio adpellata turpissimus questus; saepius in suspicionem Haereseos doctrina adducta; tota regendi ratio dicta politica, persimilis Machiavelli instituto atque istiusmodi e fontibus petita.*

Addo, inserta passim esse Codici picta calamo Schemata, Tabellasque chronologicas et genealogicas.

DCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 453 XVI. Folior. 167. f. lineis longis exaratus, et olim a *Job. Fabro* Ep. *Vindob.* transcriptus suo ad D. *Nicolaum* Collegio, uti Nota praevia tam impressa, quam manuscripta testatur, est Versio *Korani* *Mohammedani* curata a *Petro Mauritio* dicto *Venerabili*, Abbate *Cluniacensi*. Chr. MCXLIII. quam jam *Vol. I. P. 2. col. 1429.* attingi. At vero hic penitus in eam ingrediendum est. Praeit: *Epistola abbatis petri ad dominum Bernbardum Clarevallensem abbatem de translatione Alcorani per eum ex arabico procurata.* Epistolam hanc legas in *Theod. Bibliandri Mahumeticis* sive *Alcorano* 1543. et 50. *Basileae*, ut mihi videtur, per *Oporin.* f. edito p. 1. et in *Bibliotheca Cluniac.* excusa *Paris. 1614.* f. p. quidem 1109. ut est apud *Bibliandrum*, p. vero 843. prout partem *Epistolae* 17. *Libri IV.* constituit, et *περίκοπην* illam, quae de translatione nostra agit, omittit, quod, qua ratione factum sit, difficulter statuas. In hac porro *Epistola* cardo rei vertitur; nam ea non rite perpensa dubium de vero *Alcorani* Interprete natum est, quod *Nic. Antonium* et nuper *Bayerium* novum *Bibliothecae Vet. Hisp.* Editorem *Tomo II. Matri-*

ti